DISSERTATIO
INAUGURALIS
DE
COLICA IN GENERE
ET
IN SPECIE,

QUAM

IN

ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VINDOBONENSI
PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT

JOSEPHUS NEZBEDAN
PROSTANA MORAVUS.

DISPUTABITUR
IN UNIVERSITATIS PALATIO
Die 29 Mensis Augusti MDCCLXXV.

VIENNAE

Typis JOAN. THOMÆ NOBILIS DE TRATTNERN,
S. C. R. MAJ. TYPOGR. ET BIBLIOP.

8

DE
COLICA IN GENERE
ET
IN SPECIE.

§. I. Colica eſt dolor inteſtinorum nunc crudelior, nunc mitior, ſubinde circa umbilicum, ſæpe ad latera abdominis in hypochondriis, & regione iliaca, tam inteſtina craſſa quam tenuia excrucians, cum dejectione alvi pauca, rara, aut nulla quandoque difficulter reſeranda.

§. II. Hypocrati & Galeno morbus hic εἰλεος dicitur, quod dolorem, tormina inteſtinorum ſignificat ut ex aphor. 10. ſect. 7. ſi ileo vomitus ſupervenerit malum; hic non videtur de illa affectione, (quam nos ileon appellare conſuevimus, dum definimus quod ſit morbus

 cum

cum continuo vomitu & pertinaci alvi adſtrictione difficillime reſeranda) agere. Galenus vero ubi de hoc morbo agit ſequentia habet: ileus eſt phlegmone inteſtinorum, ita ut nec flatus nec ſtercora exeant. Tormina ſequuntur vehementia & cruciatus intollerabiles, & mox alibi; huic affectioni proprium & inſeparabile eſt, ut nihil deorſum ſubeat, vomitum autem non ſemper adeſſe, ſed tantum ubi pernitioſe ægrotant.

§. III. Colica etiam græcis *διαθεσις κωλικη* paſſio vel diſpoſitio colica, latinis dolor colicus, Celſo morbus inteſtini plenioris dicitur Lib. 4. Cap. III. Item Alexander Trallianus, ut apud Salium eſt non aliud ileon eſſe cenſuit, quam colici affectus inteſtinorum ac incrementum, decad. 1. obſeru. 6. Nomen autem colicæ tempore Tiberii Cæſaris innotuit ut ex Suetonio conſtat.

§. IV. Verum colicus dolor ille tantum ſtrictiori ſenſu dicendus eſſet, qui hypochondria ilia aut epigaſtrium affligit, nam ibi maxime ab ægris indicatur, ubi decurſus coli eſt, ſed quoniam hoc inteſtinum raro eundem decurſum ſervat, teſtante Cell. Morgagno. Lib. 3. Epiſt. 48. & in aliis pluribus locis, ſic ſubinde quæritur inteſtinum ileon in

pelvi

pelvi & sæpe colon ibi hæret, quapropter voce generali dolorem colicum in mea definitione comprehendi, quemcunque intestinorum dolorem, quanquam pro ratione intestini affecti in iliacum, colicum, hæmorrhoidalem, dispesci posset.

§. V. Causa proxima, est ea omnis, quæ nervos intestinales sensu exquisitissimo præditos rodere, vellicare, distrahere, aut comprimere valet.

§. VI. Causæ prædisponentes: est 1mo quæcunque ætas temperamentum laxum, aut strictum, vita sedentaria, irritabilitas, debilitas. 2do diathesis humorum universalium, aut particularium depravata, ut in scorbuticis, venereis, hypochondriacis, cacochimicis &c.

§. VII. Causæ proinde vel intra substantiam intestinorum, ut est inflammatio & ejus exitus, convulsio, colluvies serosa acris, enchymoses, scirrhus, præternaturalis arctatio, tumores varii &c.

§. VIII. In cavo vero intestinorum, omnia acria ingesta, acida, alkalina, austera, flatulenta, spirituosa, potus gelidus, spirituosa aromatica fixiora, venena, indigestibilia, pinquia, dura, piscium spinæ acutæ, cartilagines, ossiculorum fragmenta deglutita,

mespilorum nuclei, cerasorum, prunorum, vitri spiculæ, variæ terræ calces, gypsum, creta, cineres, carbones &c. Ut in pica: globi, nummi, mercurialia, antimoniata, plumbata, arsenicalia, drastica, omnia purgantia, flatus, vermes, pituita, scybala &c. & omnia quæ intestina mole sua distendere aut acrimonia internæ tunicæ villosæ nervos rodere, pondere comprimere & cavum intestinorum abolere valent.

§. IX. Symptomaticæ petuntur ex mirabili consensu nervorum intestinalium, quem cum aliis vicinis remotisque habent partibus, ut cum renibus utero, hepate ut in hystericis hypochondriacis nephtriticis, pedibus refrigeratis, in omni demum animi passione.

§. X. Metastaticæ causæ sunt 1mo perspirationis, hæmorrhoidum, fluoris albi, gonorrheæ, lactis, ulcerum fluentium suppressio. 2do materiæ febrilis chronicæ ad intestina depositio, ut rheumaticæ, arthriticæ, podagricæ, scorbuticæ &c.

§. XI. Effectus erunt pro diversitate intensitateque causæ agentis varii, sic inquietudines summæ, anxietas, vigiliæ, inflammatio, suppuratio, nausea, vomitus, epilepsiæ, alvus constipata, urinæ sup-

pres-

preſſio, contractio abdominis, inteſtinorum contorſiones, volvuli, ileus ſincope, icterus, paralyſis, amauroſis, tophi ad metacarpum, frigus extremorum, ſudor frigidus, tremor artuum, gangræna, mors.

§. XII. Diagnoſis petetur ex ſignis & ſymptomatibus cuique colicæ propriis & individuis.

§. XIII. Prognoſis pro ratione aplicatarum cauſarum, doloris fixitate, intenſitate, diuturnitate, inteſtinorum affectorum, & ſymptomatum præſentium deſumitur.

§. XIV. Cognita Æthimologia nominis cauſis, effectis, nunc ad ſpeciales colicas perveniendum, ordiar ab inflammatione, cum & morbus ſæpenumero maxime acutus, ſubdole decurrens, citamque medelam requirens, quam pro viribus pertractaturus ſum.

§. XV. Inflammatio duplex eſſe poteſt vel in Inteſtinis tenuibus, vel in craſſis, tenuia inteſtina frequentius inflammatione corripi, omnes jam cellebres obſervaverunt practici, an ideo quod cauſæ inflammationem excitantes, illis citius applicentur, an vero quod acria ex ventriculo ad inteſtina tenuia perveniant? ut Ill. B. van Svieten in coment. de inflam. inteſtinorum, an quod tenuia

 ma-

magis ſenſilia plurimis donata nervis ob id citius afficiantur.

§. XVI. Colica inflammatoria, eſt inteſtinorum tenuinum inflammatio, cum febre continua acuta, pulſu duro, reſpiratione anxia, ſiti, calore magno, dolore attactum non ferente, abdomine tenſo, urina flammea, alvo conſtipata dura. Dolor & febris ſunt quidem inſeparabiles comites inflammationis, ſic morbus ſe per hæc manifeſtat, ſed quam ſæpe nos horum abſentia fallat, CELL. MORGAGNUS optime in lib. III. epiſt. anat. Medic. 35. art. 31. notavit, dicens: „ quæ cum omnia „ ita ſint, quando cum aliis inflammatorum inteſtinorum ſignis vehementem „ dolorem & acutam febrem in ægrotantibus deprehendes, jure credes rei „ medicæ auctoribus hæc duo inter „ præcipuas notas magnæ inflammationis ponentibus, nec tamen ſic quando „ alterutrum vel utrumque horum aut „ abeſſe aut vix eſſe invenies, continuo „ putabis, aut levem inflammationem, „ aut nullam neque gangrænam & ſphacelum in eorum inteſtinis eſſe non poſſe, in quibus duo illa præceſſiſſe non „ videris, & paulo poſt ſubjungit, pulcerrimum illud monitum, quod in mente uniuscujuſque practici recens eſſe debet, ubi Albertinum ſuum in arte ma-

giſtrum

giſtrum monentem loquentemque inducit. Vigilandum & cavendum eſſe in ſimilibus inflammationibus inteſtinorum, ſe enim poſt leves dolores aut certe cum minime magnis ulla manifeſta febre, ulla convulſione, ullo vomitu, animo & corpore ſatis vigentibus, & improviſo vidiſſe ægros in præceps ruere ac cito eripi, a latente inflammatione, & ſphacelo nec opinato inteſtinorum. Hinc quam periculo ſunt plenæ ſimiles colicæ & dolores inteſtinorum, qui ab incuriis propriæ ſalutis ſpernuntur ex loco citato optimi Morgagni patet, nec tam facile latentem in herba detegere anguem eſſe, niſi ſequentia addidiſſet, pulſus in ſimilibus affectionibus eſt ſublimis potius parvus, debilis, abdomen tenſum, durum, cum dolore quodam, facies vero habet quid inſoliti, interdum oculi quaſi exterrefacti, aut livor circa labra, lingua minus ſe bene habens, cum ſiti quadam Clariſſ. & Cell. Simſon, in praxi Medica ſimiles inflammationes abſque manifeſta febri exitiales in gangrænam & ſphacelum abiviſſe memorat; eſt etiam quod cum febre ingruente, ſedes doloris nequeat determinari, fatente Sydenhamo cap. VII. de colica bilioſa p. 259. niſi ut ipſe agit, tota vis morbi ſimul & ſemel ad unnum

punctum deposita fuit imo febris aliquando præcedit, dolorem hunc frequenter sequi solet.

§. XVII. Nec non raro periodice recurrit dolor, stipatus febrilibus symptomatibus, aut etiam his destitutus sub quo dolore tanquam larva, febres intermittentes suam sæpe ludunt tragœdiam.

§. XVIII. Doloris colici epidemici grassantis Sydenhamus meminit, ubi materia morbifica febris dissenterice radiorum instar (ut se Cell. auctor explicat.) occupabat, immanem faciens dolorem, sed de his satis; nam quilibet veris artis regulis imbutus, recto ratiocinio præditus interstinguere poterit, quare ordo expedit, ut de inflammatione crassorum intestinorum agam.

§. XIX. Quod colicus dolor inflamatorius in intestinis crassis multo actuosioribus causis quam in tenuibus ortum suum debeat, nemo est qui dubitet ex rationibus prius allegatis, sed ut ut rarius crassa tenuibus inflammentur, ita etiam eorum inflammatio difficilius per signa cognoscitur, præcipue vero intestini coli cujus, ratio est, quod situm suum raro naturalem servet, ut Claris. Morgagnus lib. III. epist. Anatom. Med. 34. plurimis probat exemplis; sæpe enim

cum pleuritide, nephtritide, hepatitide, lienitide, aliisque inflammationibus confunditur, quod nobis etiam Mag. ac Cell. de HAEN, in plurimis ſectionibus cadaverum demonſtravit, non tantum colon plures feciſſe anfractus, flexuſque, ſed etiam ſæpe numero ad quintam ſpuriam imo ultimam veram coſtam aſcendiſſe, atque ibi phlogoſi affectum veram pleuritidem mentiebatur, ita Areteus Capadox, cum omnia pleuritidis ſymptomata, ut reſpiratio anxia, dolor in inſpiratione auctus, pulſus durus, celer, tuſſis, quæ affectis inteſtinis non infrequens eſſe ſolet.

§. XX. Diagnoſis hujus eſt, ſi colon ſitum ſuum ſervet, quod dolor magis hypochondria, epigaſtrium, & regionem iliacam occupet, minus acutus & acerbus, quam tenuium, ita Areteus Capadox, dolorem tenuium pungitivum appellavit; alvus conſtipata, ſi dolor inſpiratione non augetur, ſi abſentia tuſſis, nec tam læſa, ut eſt pleuriticorum reſpiratio adfuerit, & ſi vomitus, borborigmi excrucient ægrum, certe pro diagnoſi inflammati coli, aut inteſtinorum ſtare oportet, quamvis ſic definiendo morbum ab omni errore immunes nos judicare non debeamus, cum hoc morbo

dena-

denatorum ſecta cadavera longe alia ac rationi & judicio noſtro inventa contraria docuere.

§. XXI. Inteſtini recti inflammatio nomine hæmorrhoidum cœcarum venit, facilius ac coli cognoſcitur, cum multo clariora det ſui indicia, ex febre cum pulſu duro, teneſmo, æſtu inteſtini recti, pulſatione dolorifica arteriarum, dolore, alvo ita conſtricta ut vix clyſma immitti poſſit præ tumore ani, ſtilicidio urinæ &c. vid. Illust. L. B. de Störck anno Medic. II. de Hæmorrhoid.

§. XXII. Pro ratione inflammationis erunt quoque exitus varii in ſanitatem, in ſuppurationem, Scirrhum, Ileum, Gangrænam.

§. XXIII. Inflammatio exigit largam V. S. ex magno vulnere pro ratione febris & ſymptomatum repetendam. 2do Clyſmata ex emollientibus, radicibus, herbis, ſeminibus oleoſis. Si vero anus ita conſtringatur, ut nec clyſma injici poſſit, quod ſæpius Cel. Hoffmannus obſervaverat, tum omnia linimenta emollientia, balnea vaporis optime conveniunt 3tio Attenuentia, ſolventia, antiphlogiſtica ex radicibus ſolventibus herbisve, ut ex gramine, taraxo, trapopogon &c. omnibus herbis emollientibus, & ſeminibus

oleo-

oleosis, aut solventibus fructibus horreis, decocta præprimis indicantur, ut sunt cerasorum, rubi idæi, ribesiorum, mororum, fragarum &c. Salia tamen, quæ in aliis inflammationibus laudantur, ut nitrum, nitrum antimoniatum, non ita hic bene convenire censet CLARISS. P. COLIN. ob irritationem futuram ad locum inflammatum. 4to Cataplasmata, fomenta, ex emollientibus, imo Sydenham omenta animalium cum effectu bono ventri applicabat, cucurbitas Galenus & Celsus non scarificatas comendant; 5to si febris ad omnia hæc adhibita non remiserit vesicantia ad suras ita abdomini applicata optatam tulerunt medicinam; 6to Opiata vero nonnisi prudenti manu & cum circumspectione præmissis his omnibus exhibenda Sydenhamus censuit, ut vomitu & dolori prospiceretur, quibus per hæc omnia mitigatis purgans ecoproticum exhibebat, & hoc ubi vomitus & dolor urgerent, nec alvus esset constipata valde, tunc post V. S. purgans propinavit, nisi hæ cautelæ observentur & paregorica exhibita fuerint, sub initium inflammationis in Gangrænam terminatur talis inflammatio.

§. XXIV. Jam si morbus per ea omnia, rite applicata in melius cesserit,

tum

tum non ingerant, ægri talia, quæ suo stimulo nervos adeo sensiles afficere possent, sed omnia blanda facillime digerenda, quæ cito in chylum bonum, debili læsaque intestinorum fabrica permutari poterunt; secus recidiva monente Sydenhamo metuenda. Proinde copia parva & sæpius repetenda propinetur, eousque, donec valetudinem firmiorem & incrementum virium videris, ad alia paulo solidiora, descendere poteris: ultimo corpus roborandum firmandumque est, ne ab eadem causa tam facile iterum afficiatur

§. XXV. Hac quoque ratione obviam itur latenti & pessime inflammationi a Cel. Morgagnio descriptæ; neque procrastinanda est V. S. larga, etiam repetenda; ab omnibus enim opiatis & stimulantibus quam maxime abstinendum.

§. XXVI. Si vero colici dolores sub larva febris intermittentis miseros ægros torserint & periculosa alia symptomata primis paroxismis causaverint, præprimis talia, quæ vitæ ægri insidiantur, non expectanda est urina cum Sydenhamo lateritia, quæ tanquam signum characteristicum febrium intermittentium laudato auctori fuit, sed corticem peruvinum cum Huxhamo exhibendum volo, ad prævertendum futurum metuque ple-

num

num paroxiſmum, una cum ſolventibus antedictis.

Verum dum inflammatio pertinacior neque per adhibita remedia ſoluta, aut ad coctionem producta fuerit, etſi loco doloris ardoris diſtractionis ſucceſſerit, horror vagus per totum corpus, ſine cauſa, dolor obtuſus cum gravitate, concludendum erit, in loco inflammato formari abſceſſum; quapropter tota cura fiet: ut totum crudum maturetur, ac 1mo ſtatim omnis victus, qui fœces multas duras ac acres poſt ſe relinquit, inhibendus; ſed æger ſolum juſculis tenuibus nutriendus, omnia emollientia exhibenda tamdiu, donec maturata ruptaque vomica, quæ vel in cavum abdominis vel in cavum inteſtinorum rumpi poteſt. Poſterior effectus haud ita periculoſus, prior vero ſemper cum infelici ægrorum effectu finitur, quod vero ita factum concludes ex dejectione alvi purulenta, magna aut parva, prout natura ulceris fuerat; copia enim ſola puris ſufficiens eſſe cauſa poteſt novi doloris, dum in puncta flexi inteſtini incumbit, ſicut & ejus mala indoles tales, nervos velicando excitare valet. Quamobrem ulcus nunc mundandum, & conſolidandum erit, quod fiet per omnes herbas vulnerarias, ut acrimoniam,

vir-

virgam auream, hæderam terreſtrem &c. quæ in juſculis exhiberi, in decoctis vel infuſis cum æquali portione lactis potari, aut etiam per clysmata injici poterunt; balſama vero nativa nonniſi cum attentione ad febrem præſentem propinanda ſunt. Sic quoque habenda ratio largioris exhibitionis mellis, ne fors copia juſto major data, bonas & a natura, ad complendum ulcus appoſitas moleculas, una cum malis detergat, & cruda & ſauciata ſemper maneat ulceris indoles; ſi autem malum pus & ichoroſum per inteſtina exeat, tunc inviſcantia cum balſamicis, bono cum effectu exhibentur. Aquæ ſelteranæ cum lacte potæ, plurimum quoque hic præſtare viſæ ſunt, Celeb. in arte viris, cum his ergo omnibus continuandum usque ad perfectam ægri ſanationem.

§. XXVII. Alter inflammationis exitus eſt in ſcirrhum, qui, quod non ſolum periculoſus ſemper, ſed etiam quod diuturnarum colicarum, cruciatuumve cauſa ſit, tandem maxime pernicioſus evadit: norunt ii, quibus tales in praxi occurrunt.

§. XXVIII. Diagnoſim facit imprimis ſtupor, ponderis incrementum, per quod ſit canalis anguſtatio ex compreſſione

ne, irritatio ex pondere, hinc fæcum ſtagnatio, ex ſtagnatione corruptio, dolores colici. Magis vero inveteratus cauſat pruritum, tenſionem, dolorem lancinantem pungentem, qui dolor per vices abit, redit, increſcit, ex cujus incremento oritur dolor aſſiduus, ileus, vomitus convulſio, febris, atrophia, cancer, mors.

§. XXIX. Curatio fit ingerendo tantum talia, quæ bonum chylum conficiunt, & paucum fæculenti poſt ſe relinquunt, hac ratione malum diu toleratur, vitando omnia purgantia acria ingeſta, ſtimulantia &c. ſi malum mite recens oppugnandum eſt omnibus ſolventibus, ex vegetabilibus petitis gumiferulaceis, ſaponibus, dolores vero nati demulcentibus, emollientibus, anodynis, aut leniter opiatis, his omnibus applicatis malum diu ſuſtinetur.

§. XXX. Hæmorrhoidalis colica duplici ratione conſiderari poteſt, aut quod vaſa inteſtini recti ita inflammentur, ut ſæpe febrim conjunctam habeat, cum magnis ſymptomatibus, de re videndus Ill. L. B. de Störck anno 2do Medic. de febre hæmorrhoidali, aut ſi fluxus inſtans retroceſſerit, atque in vaſa tunicarum inteſtinorum metaſtaſeos inſtar de-

ponatur, quod ſubito aliquando ſit, ut homines ſani repente tali colico dolore corripiantur.

§. XXXI. Curatio dependebit a revocatione horum per clysmata emollientia, fomenta, per vapores aquæ ano exceptos, per purgantia antiphlogiſtica ore hauſta, aut forma clysmatum injecta per ſuppoſitoria aloetica & ex his purgantia, & ſi vomitus adfuerit cum febre præſente v. ſ. cum diluentibus & ſolventibus, imo anodyna in uſum vocentur.

§. XXXII. Sæpe numero colluvies feroſa ſine aut cum acrimonia inundans vaſa inteſtinorum cauſa eſt colicorum tormentorum, ut P. Carolus Piſo ſect. 4. Cap. II. optime notavit, cujus primo ſola fere curatio pendet in evitatione cauſarum, hanc colluviem generantium, 2do in evacuatione per purgantia hydragoga & 3tio in uſu diætæ ſiccioris, & 4to. In roborandis inteſtinis conſiſtit.

§. XXXIII. Pertractatis colicis doloribus & cauſis iis enumeratis, quæ intra vaſa tunicarum inteſtinorum dominabantur, ordine ad colicas procedam, quæ ſuam cauſam in cavo inteſtinorum agnoſcunt.

§. XXXIV,

§. XXXIV. Imo Colicus dolor, ab acido non modo adultos, sed etiam crebrius & vehementius tenella infantum corpuscula immanibus doloribus utpote magis sensilia affligit, ut inde enormes convulsiones epilepticæ & ex his impedito æquali motu humorum per vasa læthiferæ inflammationes intestinorum oriuntur, vid. L. B. van Swieten, de enarratione caus. inflammationem intestinorum producentium, nec mirum hoc accidere in intestinis, cum subinde acidum in secundas vias receptum, pleuritides producat, ut ante aliquot annos casus in nosocomio practico apud Magn. de Haen occurrit, quæ pleuritis anteacidis curata fuit.

§. XXXV. Causa prædisponens est debilitas corporis & viscerum chylopoeticorum.

§. XXXVI. Causæ excitantes sunt omnia actu acida vel acescentia vel mora in acidum abeuntia ea vel intus nata, ut in melancholicis cum materia apud infantes, qui lactantur, est lac ex sua natura acescens, quod sæpe ob vires chylopoeticas debiles in acidum degenerat, prioribus ob defectum bene bilis id accidit, pultes ex secali paratæ apud adul-

tos aceta, vina, ob quæ largius aſſumta voluit Hoffmannus colicam endemicam apud Moravos & Auſtriacos; ita & Bonetus in ſuo ſepulchreto Lib. Anat. Practico .1mo. ſect. 15. pag. 295. omnes ſucci acidi, ut ſuccus citri limoniorum, præcipue vero limonada largius hauſta meraca; ſiç & acida foſſilia licet diluta, aut non bene ſpiritu vini edulcurata enormes colicas fecerunt.

§. XXXVII. Signa cauſæ prægreſſæ pallor, ætas juvenilis, temperamentum laxum, ructus acidi, morſus ventriculi, fames, fæces virides, puſtulæ ex pallido rubræ.

§. XXXVIII. Cura abſolvitur abſorbentibus, alcalinis, immutantibus, involventibus, ſopientibus, expellentibus, ex.gr.lapid.cancrorum Oſtrocoder.&c. ſal. alcal. fixa & volat. ſapo venet. olea blanda ore hauſta cum carminativis adjectis, ut eſt aniſum ſtellatum &c. per anum injecta vel ore hauſta mire proſunt, quæ frequentius adhibita in tenellis reprobat Cell. Tiſſot, an tamen reprobanda, ſi cum carminativis propinentur? victus ſit ex animalibus rapacibus, gelatinæ ex cornu cervi & pedum vitulinorum, juſcula ex cancris & limacibus, potus meracus ut vini Tokavienſis &c.

CO-

COLICA AB INGLUVIE RERUM INDIGESTIBILIUM ET PEREGRINARUM.

§. XXXIX. Varia interdum ab hominibus in alimentum vocantur, quæ potius adjicienda forent, cum a viribus noſtris non ſolum non digeri, ſed etiam propter ſuam firmam compagem & anguloſam figuram, ventriculum & inteſtina lædere valent, hæc autem vel ex improviſo vel avide cibum appetentes quoque ex alia ratione talia ſat magna copia ingeruntur, uti piſcium ſpinæ acutæ, aut hamatæ &c. oſſiculorum fragmenta, cartilagines a quibusdam, qui tempus fallere amant, pleno & tumido ſtomacho, ludibrii cauſa, tales ex capitulis oſſium demordent, leviter comillita deglutiunt, quæ majori copia accumulatæ, cavum inteſtinorum obſtruunt, & pondere inteſtina trahendo, dolorem colicum creant, ſic pariter, ceraſorum, meſpilorum, prunorum, una cum nucleis copioſa ingurgitatio, vitri in minima fragmenta ſpiculæ, per quæ omnia incuria, propriæ ſalutis, aut curioſa oſtentatio; ſæpe & merito acerbiſſimi pœnas luit doloris. Sunt vero qui infrœnata cupiditate

ad res insuetas feruntur, maximæ puellæ feminæ pica laborantes, quam absurda appetant, neminem latere potest, aliæ enim calcem, gypsum, cretam, argillam cineres, carbones, aliæ larga manu vorant, quæ cum in corpus homogeneum concrescere, ac canalem obstruere, difiendere irritando colicum dolorem producere valent diuturnum, ut in actis Edimburg. T. v. casus de quadam puella legi potest, quæ per Sexennium doloribus a corpore tali peregrino, lateribus intestinorum accreto affligebatur.

§. XL. Signa ex ingluvie talium majori copia ex confessione ægrorum propria, dolore fixo, duritie & tensione abdominis, alvo obstructa, ructu, vomitu, excretione horum per anum pauca sine levamine, colligere licet.

§. XLI. Cura cum emollientibus, oleosis, mucilaginosis, per os haustis purgantibus lenioribus, clysmatum injectione, applicatione cataplasmatum, ex emollientissimis, ita & v. s. necessaria erit, ad præcavendam inflammationem, si his non cesserit malum, ad fortiora purgantia & clismata descendere oportebit, imo ad clysma ex fumo tabaci cito deveniendum est, ut venter fluxilis reddatur,

tur, alias subito in ileum abit, tandem materia expulsa intestina roboranda veniunt.

DE COLICA A VERMIBUS.

§. XLII. Si una ex enumeratis colicis frequens est, & diuturna ac omnem patientiam humanam superans ob acerbitatem doloris, est illa a vermibus in intestinis hærentibus, quare mihi singulari attentione consideranda venit, licet nulla sit, quæ periculo vacaret, aut ægro facilis ferenda putetur, nam illa, quæ immediate magnum periculum protendit, minus spei secum fert quam talis, quæ insequens periculum post se trahit, cum ultimo iidem effectus sequantur, nisi quod una acuta, altera chronica, una poscit remedium subitaneum, altera paulo diutius periculo vacans id minus exigit, hæc colica quidem diu subinde vexat sine periculo, sæpe pro tempore abit, redit, & iterum priora mala repetit præprimis iis, qui vermes lumbricos in corpore gerunt, qui verme solitario infestantur, minus hos dolores experiuntur, ita Piso, sed plerumque marasmo pereunt.

§. XLIII. Quod vermes plerisque in locis corporis reperti ſint, multa probatorum auctorum teſtimonia evincunt, varias ætates adoriuntur, nec in utero materno hærentibus pepercere, ut Cell. van Dœveren teſtatur, cujus diſſert. legi meretur.

§. XLIV. Vermes quocunque modo in inteſtina deveniunt, multiplici ex cauſa colicum dolorem excitare valent, vel enim pungendo vel rodendo, mordendo, cavum obſtruendo, dum in nidum ſuum glutinoſum plures concurrunt, vel enecti & putridi talem dolorem excitant, vermes teretes ſeu lumbrici plerumque tenuia inteſtina affectant, tinea in colo & cœco, aſcarides in recto habitare conſueverunt. Dum itaque vermes per latera inteſtinorum repunt, papillas nerveas ſenſu exquiſitiſſimo præditas velicare ſolent, imo ſuum aculeum, nutrimentum appetentes in has infigunt, ſpaſmos cauſant, dum vero vermes rebelles redduntur vel ob deffectum nutrimenti, vel oblati, ingrati medicamenti, tum pertinaciter latera ſuis aculeis mordent, imo diutius rodendo inteſtina perforant & in cavum abdominis exſpatiant. vid. Ill. L. B. de Störck ubi caſum

ali-

alicujus puellæ a vermibus enectæ describit.

§. XLV. Signa horum sunt sequentia, dentibus stridere solent, salivant frequenter, nares fricant & recurrentem habent pruritum, sitim potu non sedandam, venter horum post pastum intumescit, cum omnes prandere cupientes, ad tenuia concurrant, oculorum suffusione laborant, eorum pupilla præternaturaliter dilatatur, ut Monroo, in aliis est plumbeus scleroticæ color, alii capitis dolorem experiuntur, & plurimos, famelici maxime noctu inquietare solent, cum experiefactione, causant pariter animi deliquia, famem, cordis palpitationem, subinde, per pulsum inæqualem intermittentem suam produnt præsentiam, nauseam & vomitum putridæ materiei, singultum, frequenter pariunt, tussim per intervalla redeuntem, tensionem hypochondriorum producunt, excreti vermes & eorum excrementa sui præsentiam in corpore ostendunt; ascarides per pruritum ad anum dignoscuntur, tinæa longe majorem famem & atrophiam quam ipsi lumbrici producit, ita Piso.

§. XLVI. Indicatio eſt vermes necare, nidum deſtruere, ſymptomatibus proſpicere, hos expellere, poſtea corpus roborare, proſpicitur vero ſymptomatibus per omnia oleoſa, emollientia, lactea, leniter paregorica, imo opiata, ſi convulſiones &c. alia prava ſymptomata id expoſcant, & hæc fomenti, cataplaſmatis, & clyſmatis forma applicari poſſunt, imo lenia anthelmintica & purgantia, ut eſt cornu cervi ſpagiricæ præparatum, cum oleo amygdalarum ore propinanda, ſedatis doloribus danda ſunt fortiora anthelmintica cum incidentibus & purgantibus, ut ſunt omnia fœtida, ut aſa petroleum, camphora, amaricantia, ut myrrha, radix heleni, gentiana, abſynthium, radix valeriana ſylveſtris, philicis maris, dictamni albi &c. ſemina, ſantonici, dein omnia ſalia incidentia media metallica; ut eſt vitriolum martis artificiale, mercurialia præparata & plurima ab authoribus recommendata, huc referuntur omnia præparata aloetica, expulſis itaque vermibus, ne diatheſis mucoſa naſcatur, omnia roborantia cum aquis ferratis conveniunt.

DE

DE COLICA FLATULENTA.

§. XLVII. Aer quacunque ratione ad inteſtina copioſe allatus, ſit ille prius fixus in his corporibus, quibuscum advenit, vel jam elaſticus, ſemper calore loci adhuc magis rarefit, aſt ſi ipſi poſito obſtaculo denegatur liber egreſſus, tunc omni momento magis rarefactus cauſat, ut inteſtina ſpaſmodice contrahantur, ſic ſponte ſibi præcludens viam egreſſum liberum intercipit & continua majori rarefactione expandendo ſemper plus inteſtina, ea ſæpe inſtar trepani afficit, nam aer poteſt comprimi ut 17. ad unum & diſtendi ut 30. ad unum. Igitur dum aer aliquo in loco ſic intercipitur, & omni momento magis rarefit, nervi ſumme tendi debent, non ſolum in his locis, ubi hæc tenſio obtinetur, ſed etiam propter illam miram nervorum communicationem aliis in locis dolorem naſci debere, tum ſic conſideramus in ſequenti illa dilatatione, abdomen tumidum reddi, contenta ibi comprimi, mirum non erit, icterum & alios effectus ſequi, ut optime notavit Areteus Capadox, quod ſi prope ſplenem ægrotet colon, id eſt laxius inteſtinum colorem

ha-

habent, nigrum cum viridi mixtum, album vero cum viridi, si prope jecur, ab his enim proximis visceribus malum communicatur: probat hoc Ruischius exemplo: ubi puella talibus doloribus enecta coli illam partem, quæ rectum intestinum nominari incipit, adeo enormiter extensam; ut omnia abdominis viscera ocultaret, patet satis, quam enormes dolores a tanta distractione partium adeo acuti sensus fieri debeant, quod optime notavit Cœlius Aurelianus dicens: ægri tales, convolvi ac torqueri sua intestina sentiunt vel præ vehementia dolorum supra eas partes, quæ patiuntur, ægrotantes arcuati convolutique applicentur, dum interim quadantenus spasmo resoluto, & dimisso aere intestinum laxum, & debile supra residuam structuram delabitur, vel constricta pars in distentam intrat, volvulumque producit, quem postea hernia ileus comitatur. Plura similia apud Bonetum enormiter tumentium intestinorum videri possunt exempla, præterea si augetur in quibusdam locis constrictio, quæ facile nascitur, ab hac irritatione sequitur, ut sanguinis circuitus vel pro toto vel, saltem pro parte intercipiatur, quam

ob

ob rationem inflammationem, imo plane gangrænam ſupervenire facilis dabis.

§. XLVIII. Signa petentur vel ex alimentis flatulentis, ex vita ſedentaria, ex temperamento melancholico, vel phlegmatico, ex dolore colico frequentius recurrente, ex ructu, flatu & borborigmis, cum leni inflatione abdominis, locum mutante, alvi retardatione, & ſi ſæpius hunc morbum paſſus eſt, fœces ſiccæ compactæ redduntur, ex repentina flatuum copioſe emiſſorum ceſſatione, ſi autem morbus omnes vires aquiſiverit, tunc abdomen inflatur, tenditur, nec tactum manus patiens fert, dolor ſæpe inſtar trepani perforantis ab ægro percipitur.

Signa diſtinctiva ſingulorum affectorum inteſtinorum ſunt ſequentia, in dolore tenuium flatulento, abdomen magis circa umbilicum inflatur & globoſum eſt, dolores crudeliores & magis fixi percipiuntur, borborigmi circa umbilicum exaudiuntur, ructus quanquam rari ſurſum aſcendunt, alvi facilior egeſtio, irritus vomendi conatus imo vomitus frequentior; in dolore Colico flatulento, magis ad latera in regione Iliaca, & Hypochondriis, paulo infra ventriculum, ob illam revolutionem inteſti-

ni

ni coli, dolores & borborigmi vagi percipiuntur, abdomen tantum ad latera tumet, & in epigaſtrio alvus fere nulla, flatus pauci cum crepitu levamen adferentes, emittuntur, ructus fere nulli, gravedo ad lumbos, reſpiratio difficilis cum tuſſicula & pleuritico dolore.

§. XLIX. Quamprimum homo tali dolore præhenſus eſt, ſtatim clyſma ad ſolicitandam alvum ex emollientibus leniter carminativis injiciatur, ſi homo temperamenti ſanguinei eſt, vel dolores vehementiores adſint V. S. in brachio fiat, abdomini cataplaſmata emollientia, cum carminativis adjectis applicentur, carminantia per os propinentur, ut aqua Chamomillæ, ſeminum fœniculi, Cumini, Aniſi, cort. aurant. radicis Angelicæ, millefolii, &c. baccæ lauri & enarratorum præparata ſub varia forma dari poſſunt, præterea ſpiritus nitri dulcis, liquor anodynus mineralis Hoffmanni, ſpiritus ſulphuris per campanam &c. Verum etiamſi hæc remedia convenientiſſima videntur, tamen attendendum, an levamen adferant, nec ne, alias continuata, ſi pertinax ſpaſmus adſit, brevi efficiunt, ut ſe jungat inflamatio, quapropter deſiſtendum ab his & V. S. repetatur

tur, ingerantur omnia emollientia oleosa, uti & per clysmata exhibeantur, pro necessitate autem mali urgentis potest clysma ex decocto tabacci, aut ejus fumo injici, Galenus cucurbitas cum flamma applicari jussit.

DE COLICA BILIOSA.

§. L. Morbi plurimi a variis humoribus degenerantibus produci possunt, solent autem morbos efficere ii humores, qui in toto corpore, vel parte affecta prædominantur, si itaque recte noveris bilem redundantem, morbi causam perspectam habebis. Ut igitur a bile ordiamur, bilis duplex cistica & hepatica, quæ pro ratione ingestorum plus aut minus in intestina affunditur, si autem magna copia cum ingestis respective paucis, ad intestina fertur, tunc mucum detergit, & acrimonia sua nervos vexat, hæc de copia bilis justo majore nondum degenerante, verum si bilis redundat, & corrumpitur, tunc suo acri stimulo caustico dolorem intolerabilem, ac si intestina fascia injecta constringerentur, parit, subinde dyssenteriam, quæ post diuturnos cruciatus ægro valedicens, in colicum do-

dolorem vertitur, aut per aliquot horas ægrum affligens in dyssenteriam mutatur, ita testatur Sydenhamus lib. epist., dum agit de quadam constitutione epidemica, quæ ut plurimum juvenes temperamento calido ac bilioso præditos æstate præsertim adoriebatur, quam V. S. præmissa post tres aut quatuor horas anodynum, postremo die catarcticum exhibendum reliquit, nec non contingit ut dissentericus fluxus biliosus, datis adstringentibus supprimatur, ut postea talis materia in corpore retenta, talem dolorem creet, huc colicas ex putrida saburra, aut ab alkalescentibus assumptis natas, quæ, cum curam fere poscant eandem, revocandas censeo.

§. LI. Signa ex epidemia, temperamento anni tempore, ut æstivo & autumnali, ætate, amaritie oris, fastidio, irritu vomendi conatu, vomitu bilioso, ex anxietate summa ad præcordia, ex prægressa dejectione fæcum putridarum, ex victu similium enarratorum, ex dolore supra descripto, ex ructu & halitu tali putrido petuntur.

§. LII. Obviam itur talis saburræ prædominantis: 1mo. si plethora præsens sit vel febris V. S. cum emollientibus invi-

viſcantibus, anteacidis vel actu acidis, ex duplici regno petitis vel eliminantibus catharcticis, ut caſſia, manna, cremore tartari, ſero lactis cum tamarindis, mirobalanis, rheo &c. poſtea paregoricis tam ore quam ano exhibitis cum cataplaſmatibus ex emollientibus paratis, & abdomini apoſitis.

DE COLICA STERCOREA.

§. LIII. Quæcunque ore aſſumimus ſub titulo alimentorum vel potulentorum, etiamſi tenuiſſima eſſe appareant, ſemper ſecum vehunt particulas terreſtres, quæ a vaſis lacteis imbibi nequeunt, ut poſtea tales particulæ majori copia acumulatæ ſolidas fæces in inteſtinis ſiſtant, dum paulo poſt de corpore elliminari debent, ſed ſi more ſolito non excernantur, naſcitur dolor in inteſtinis quem colicam ſtercoream apellamus. Interdum talis dolor ſat dirus eſt, ut omnem patientiam humanam ſuperet, & poſt acerbiſſimos dolores inflamatione nata convulſiones epilepticæ, volvulus, Ileus, imo gangræna hominem invadit, ut vitam ſuam cum morte comutet.

§. LIV. Sedes eſt plerumque inteſtinum coloris; fæces ſat copioſæ naturaliter & ſine noxa in illo inteſtino continentur, nec minimum cauſantes dolorem; quam primum autem aggregatio harum juſto major in uno loco ſit, quia diutius retentæ, caloris vi continenter, exſiccantur, putreſcunt, vel plane canalem obſtruunt, ut ex multiplici hac cauſa, hanc ſcenam ponere valeant, vel enim pondere ſuo nervos ſubjacentes præmunt, vel diſtrahunt latera inteſtinorum, ſed cauſa proxima omnis doloris eſt nimis vehemens, & partium nervoſarum diſtenſio, diſtractio atque expanſio, vel ſpaſtica contractio; ita etiam ab hac cauſa proficiſcitur dolor inteſtinorum; vel ſi ſcibala acria reddita fuerint, tunc irritando nervos conſtrictiones producunt, canalem ita anguſtant, ut nec flatum inteſtina tranſmittere queant. Cum autem ob copiam fæcum ibi hærentium jam aliunde obturata ſint, ſequitur ut non tantum inflatio abdominis augeatur, verum etiam dolores crebriores ægrum invadunt, dixi paulo ante quod colon ſolummodo domicilium præbeat fæcibus, verum per induſtriam medicorum innotuit, ſubinde tales in initio, ilei inteſtini accumulari, & hæc videtur

etiam

etiam ratio esse, cur Hyppocrates in genere omnes dolores intestinorum, iliacos pronuntiarit, quia causæ hujus mali admodum communes sunt.

§. LV. Causæ sunt hujus symptomatis vires expultrices imminutæ, & retentrices auctæ, adeoque strictitas, aut debilitas, atonia vel paralysis, cibi multum materiei fæculentæ relinquentes, affusio bilis copiosior, vel parcior, vita sedentaria, vel motus vehementior mox intermissus, paucitas ingestorum ex inedia & siccorum, tumores varii intra substantiam intestinorum orti, ut apud Hyldanum legitur obs. 7. pag. 199. a coarctato intestino, sic Caspar Bauchinus & Rondelius notavit, hujus causam, colici in ea parte plurimum, & oriuntur & exacerbantur, quippe angustia illa facile obstruitur.

§. LVI. Signa sunt ex variis causis & signis absentibus aliarum colicarum petenda, ut hysterica, hypochondriaca, nephtritica, inflammatoria, saturnina &c. ex vita sedentaria, temperamento stricto, alimentis siccis, ex retardata alvo & obstructione ejus cum superveniente dolore, sæpius recurrente, ex sede affecta, nec tam valde tumente abdomine ut in fla-

tulenta, dolore plus fixo, & duritie tactu subinde percepta, ad flexus coli, de pondere & duritie ab ægro ibi sentiente conquesta & tumore.

§. LVII. Sic causa cognita conveniunt omnia mollia, oleosa, mucilaginosa, per os hausta & ano injecta, cataplasmata, ex emollientibus parata abdomini applicanda in usum vocentur, post hæc lenia purgantia, imo fortiora, alvo reserata carminativa dentur, ita Hoffmannus. Cura profilactica, si robur nimium intestinorum adest, cum exercitio magno, id prius omittendum, postea larga copia ex emollientibus & solventibus ingeratur, NB. contingit aliquando, ut malum adeo sit pertinax, nec facile ac priora in melius mutetur; debemus itaque ut in aliis fortiora aggredi, ut sunt purgantia catarctica, ore & ano propinanda, ita & fumus tabaci.

DE COLICA A GLUTINE.

§. LVIII. Mucum, qui a natura ad obliniendos defendendosque sensiles parietes intestinorum destinatus est, frequenter deficere dolores evincunt, cujus defectus causis debetur abradentibus, ut sunt

ſunt omnes acrimoniæ diarrhæam diſſenteriam cauſantes ; quamprimum vero copioſius illa naturalis pituita ex cauſis ſequentibus colligitur; quod ſubjectum ſit debile, inopiam bonorum humorum habens, vitæ ſedentariæ deditum, cujus alimenta pro maxima parte, ſunt ex farinoſis & glutinoſis, quæ tenacitate vires ventriculi ſuperant, & omnia menſtrua bonæ digeſtionis inertia reddunt, præcipue bilis maxime requiſita ad bonam digeſtionem propulſionemque fæcum, quare fiet ſenſim ut coacervetur pituita, ut non modo mole, & gravitate ſua extenſura ſit canalem inteſtinorum & meſenterii nervos ſenſibiliſſimos, ſed etiam acrimonia velicatura, quod in ſe Galenus lib. II. cap. 4. expertus eſt, dum ait memini mihi accidiſſe dolorem vehementiſſimum, ut mihi viderer terebra perforari, & paulo poſt habet ſequentia: excrevi ſimul dolore cum graviſſimo humorem vitreum a Praxagora appellatum ita & Cel. ac Mag. mihi ſemper venerandus Prof. de HAEN, in ſuis prælectionibus teſtatus eſt, ſibi in praxi occurriſſe caſum, ubi non ſolum per alvum ſplendentes inſtar gelatinæ tremulæ maſſas, pugnum unum duoſve

æquantes excretas viderat, ſed etiam tractus longos ſimilis pituitæ ac ſi totius internæ tunicæ inteſtinorum fruſta longa ſecederent, ſuis auditoribus in practico collegio demonſtravit.

§. LIX. Medetur huic morbo in inſtante dolore per fomenta, cataplaſmata, enemata mollia, ut in omni alia colica, miteſcentibus vero doloribus incidentibus, ſtimulantibus, ut hæc tenacitas pituitæ dividatur, occurritur; talia ſunt omnia amara, ut abſinthium, radix heleni, gentianæ, acori, Imperatoriæ, carcophilatæ, & ipſa ruta &c. 2do. Inciſa pituita purgantibus eliminanda per ecoprotica, cathartica, ſalina, ſaponacea, mellita, ore data, aut per enema injecta. Cura prophilactica erit, ut diatheſis gluten generans emendetur, ne recurrat amplius colica; ſi nullum gluten amplius adſit ad ejus generationem impediendam, frictionibus abdominis, exercitio corporis per roborantia, myrrham, aquas ferratas continuanda &c.

DE COLICA PICTONUM.

§. LX. Immanis & ferus ille dolor pictonicus, qui ſæpenumero foſſores adoritur,

ritur, ab effluviis fodinarum arſenicalium, mercurialium, plumbatarum, ore hauſtis, & cum ſaliva deglutitis originem ſuam temere ſibi tribuit, atque iis familiariſſimus, qui mineras ſaturni igne tractant, & calcinant, & plumbum ab argento, in docimaſticis furnis ſeparant; taceo de aliis lethalibus ſymptomatibus, quæ in corpore humano illi fumi excitare conſueverunt, dein præparata ſaturnina, quæ prorſus ignari ore aſſumimus, ut accidit, dum vina, quæ vix præ acore bibenda a mercatoribus ex diabolica avaritia mineram auri aggregare cupientes, ſaccharo ſaturni manconiſantur, adeo gravia & periculoſa damna, atque incommoda inferunt. Communis ab hac cauſa hic morbus in Britannia Galliæ provincia; & fuere tempora, ut etiam hic plures homines hoc morbo laboraverint, & antequam fraus illa detegeretur, legenda diſſert. Cel. Præſ. Zelleri de noxa vini ſacharo ſaturni edulcurati, in Suecia adſcita, non raro pictores, qui ceruſſam aut alia plumbi præparata, manibus tractare conantur, hoc acerbo morbo corripiuntur, quibus colica bilioſa nuncupatur, ejusdem generis dolori, figuli, qui vaſa figulina vitro ex plumbo obducunt vulgo

Glaßierten, obnoxii ſunt ita Cel. Frid. Hoffmann, aut qui utuntur vaſis plumbatis, ut Monachis conſuetudinarium eſt, dum butyrum a rancedine conſervare volunt, interim tota ſocietas huic diro morbo ſubjicitur, imo divenditur butyrum calce plumbi ſophiſticatum, ut ejus pondus augeatur; teſtantur quoque obſervationes practicæ quod medicamenta, quæ Saturnus ingreditur, æque homines his utentes periclitentur, ut fit, ſi maſculi Gonorrhæa, aut fæminæ fluore albo laborent; & in tales medicaſtros incidant, qui ſacharo Saturni per uretram injecto vel interne tinctura antiphtyſica Garmanni medentur, hunc fluxum ſupprimendo; ſimile malum inducere ſolent, verum admiranda hujus veneni natura ita & aliorum venenorum; quod potiſſimum nervos inteſtinales affectet, nec hoc præſtant cantharides, nam applicatæ maxime cellulosam tunicam petunt, quam intra paucos dies in gangrænam commutant, vel vias urinarias, ubi ſtranguriam inducunt, lepus marinus piſcis, maxime pulmones.

§. LXI. Cognoſcitur hic morbus ex dolore acerbiſſimo, excrementis caprinis, ex ventre retrotracto, quod non obtinetur, in aliis colicis, cum ibi potius globu-

bulosus appareat, si autem homo macilentus est, tunc tanguntur intestina, tanquam chordæ tensæ, stricta, anus introrsum tracta conspicitur, quod non in aliis speciebus colicis observatur, solvitur hic morbus modo communi colicarum, vel abit in paralysim, quæ frequentior est, plerumque artuum, verum tamen maxime extensores afficit, ut flectantur artus & elevari nequeant, vel amaurosim post se relinquit, cujus ratio petenda ex descriptione hujus phœnomeni est, apud Mag. de Haen Tom. III. cap. II. ratio Med. pag. 104. 105. 106. 107. 108. ubi agit circa originem nervi intercostalis, aut post repetitos paroxismos tophosæ conspiciuntur eminentiæ, in metacarpo, quorum natura a singulari hujus veneni indole repetitur vid. Cel. Mag. de Haen Tom. III. pag. 113. 114. & 115. abit etiam in Ileum, in Hydropem, ut itaque admodum tristis cronicus morbus sit, quia dum spes est resolutionis recidivat, quod frequentius accidit, si pauca copia scybalorum caprinorum excernitur, & continenter pergant, quod fit, dum cellulæ coli paraliticæ sunt, ut fæces ibi necessario longo tempore morari debeant, & accumulatione horum, si postea canalis obstrua-

tur, ileus hominem invadit, verum si magna copia horum scybalorum dejiciatur, cum subsequente alvo pultacea, citra dubium sumus morbum non recidivari nec hydropem adoriri, ita Mag. de Haen.

§. LXII. Cura omnium tutissima, certissima si larga manu oleum lini potatur, aut per enema injicitur, tunc nervi crispi emolliuntur, acria involvuntur, & involuta eliminantur intestina a fæcibus parietibus acretis liberantur, nam oleum habet vim penetrantiorem ipsa aqua, igitur sua penetrabilitate sese insinuans in poros intestinorum intra concreta scibala globulos a parietibus solvit & eliminantur fæces, dum hoc sic per multos dies continuatur, mirum est, quomodo morbus resolvatur, vid. Mag. de Haen Tom. III. pag. 88. Si autem venenum secundum nervum altius penetravit, cum oleum solum vim impertitam nervis demere non sufficiat, tunc opium adjiciendum est, vid. Mag. de Haen Tom. III. pag. 94. ita Riverius Huxham Sydenhamus nephentem audacter miscere jubent, in doloribus vehementioribus, nec non emulsa camphorata & paregorica multum levaminis adferunt, cataplasmata toti abdomini appli-

ca-

cata, quibus interponantur emplaſtra paregorica, ad regionem umbilicalem, vid. Mag. de Haen. Cap. II. pag. 88. Galenus in deſperatis colicis cum ſpasmis validioribus has ſolvere incantamenti inſtar, applicatione cucurbitarum poſt ſe relinquit. Verum ſic & Clar. Cel. Mag. Prof. de Haen cucurbitam umbilico applicari ægro juſſit ileo a colica pictonum laboranti, cum alia fruſtra adhiberentur, vide Tom. XI. rat. med. pag. 186. Quas laudes vero mercurius vivus vel currens mereatur, in pertinaci alvi conſtipatione aut colica clauſa ubi ileus metuitur, aut jam præſens eſt, videri poſſunt præter alios antiquos ac Cel. auctores præprimis Cel. Hoffm. T. IV. parte II. ſect. II. Cap. IV. & Mag. de Haen Tom. XI. Optime autem datur mercurius cum oleo quocunque potandus, quantitas & doſis diverſa, diverſis laudatur ſuis authoribus. Neque auri fulminantis vires ſæpius in ileo maxime proficuas negligendas eſſe judico; clariſſimorum enim virorum plurima teſtimonia ſalubrium effectuum ab auro fulminante obtentorum in rat. Med. cont. Tom. I. cap. VII. de ſcarlatina reliquit, MAG. DE HAEN. Sic quoque in varia natura ilei veſicans ad re-

gionem umbilicalem applicatum prodesse puto, ita MAG. AC CEL. DE HAEN Rat. Med. Tom. XI. cap. III. pag. 204. Quantum vero ad domandum vomitum frigidæ aquæ aut cujuscunque liquoris gelidi haustus prosit, patet ex supra citato Tomo, mihi semper. Mag. ac in æternum venerandi Prof. de HAEN.

Pro cura Curatoria inserviunt lac & sapo venetus, gummi ferulacea, nervina balsamum peruvianum Sydenhamus propinavit, si vero fæces non debite excernuntur purgantia ecoprotica, ex manna, cassia, sero lactis conveniunt. Pro cura confirmatoria aquæ ferratæ & roborantia cum diæta molli laudantur. In paralysi, tophis, oleum lini & reliqua, ita & butyrum, cum nervinis, & applicatione machinæ electricæ medentur. Pro cura prophilactica, qui evitare nequeunt hujus veneni injurias, commendantur juscula pinguia, panis cum butyro aut lardo adornatus.

DE COLICA EX CONSENSU.

§. LXIII. Si quæ inter maxime ardua scholæ medicæ explicanda problemata videntur, certo est consensus nervorum,

qui

qui acutiſſimorum virorum ingenia eo fatigat magis, quo in hoc arcanum naturæ ſummo cum labore penetrare nituntur, dum conſenſum & per hunc morbos, explicare conantur, qua ratione enim ab ideis gratis aut ingratis in origine nervorum ea oriretur mutatio, quæ nervos partis alterius ita afficit, ut inde morbi naſcantur, arduum explicatu eſt, non enim omnes iisdem æqualiter afficimur, ideo quia mobiliores alii præ aliis nervos habere videntur, ſic ætas infantilis irritabilior magis quam hominis ætatis provectæ; ſic etiam hyſtericæ hypochondriaci vitam mollem otioſamque viventes, mobiliores ſunt iis, qui vitam laborioſam duram & arduam agunt.

§. LXIV. Nomine conſenſus ab auctoribus hoc intelligi ſolet, dum nempe cauſa morbi alio in loco hærens partem corporis aliam ita afficit, ac ſi cauſa realis præſens in hac per conſenſum, affecta parte eſſet, hæc vero comunicatio affectionum non niſi per partes ſenſibiles id eſt nervos fieri ſolet, probatur Hypocratis effato, dum ait: totum corpus humanum idem in particula minima, quod in parte maxima, in molli, quod in dura parte, quare dolor in minima parte ſentitur per totum

tum

corpus, & per totum corpus diſtenditur, huncque totum corpus ſentit, quare colicas conſenſuales, ſubſequentibus paragraphis comprehendam; ſunt vero hyſterica nephtritica menſtrualis, colica gravidarum, puerperarum & a pedibus refrigeratis.

§. LXV. Sed his omnibus miſſis ad colicam hyſtericam, quæ etiam Friderico Hoffmanno in enarratione morborum obſervatione prima convulſiva audit, deveniendum eſt, fæminæ hyſtericæ & hyppochondriaci, iis tormentis dolorum maxime ſubjecti, abſque manifeſta cauſa ſibi accidere fatentur; quamvis enim noverim Cel. Frid. Hoffmannum, dicentem ſect. 2da. cap. IV. §. 21. frequentiſſimum in hypochondriacis, maxime a ſtercorea materia, inteſtinum colon inſarciente, per ſcybala diſtendente atrocem colicum dolorem oriri, tamen magna Sydenhami authoritate aſſerere audeo, etiam in hypochondriacis, ſæpe talem, quam Cel. Hoff. aſſignat, cauſam deſiderari, ſed ſoli & unicæ attaxiæ ſpirituum hunc deberi, cum hypochondriaca paſſio, hyſtericæ tam ſimilis, ratione ſymptomatum, ut vix ovum ovo ſimilius eſſe putet Sydenhamus,

in diſſ. epiſt. de paſſione hyſterica pag. 486. edit. lipſ. Quapropter qualis hic morbus & quomodo dignoſcendus dicam, ne facile cum aliis conſimilibus affectionibus confundatur, prout enim hunc inordinatum motum ſpirituum quæcunque mutatio in mente præcedere ſolet, ut mæror, triſtitia, ira &c. ita & hunc colicum dolorem ab hac cauſa natum. Jubet enim Cel. Syden. in loco citato interrogare, an triſtes fuerint, an vero urinam aquoſam miſerint, ex qua tanquam ſigno characteriſtico præſens cognoſcit malum; dolor vero haut mitior quam in paſſione colica iliacaque eſt, regionem ventriculi, nonnunquam & paulo inferiorem obſidet, qui poſt diem unum alterumve abit, ſed ad leviſſimas animi motiones revertitur, cui quandoque icterus jungitur, qui inter dies pauculos ſponte evaneſcit, cui vomitus materiei viridis aſſociatur ac ſi a bile eſſet, quare monet medicos; bene attendendum eſſe, ne eandem methodum curationis faciant, quæ in bilioſa per V. S. & purgantia neque enemata acria aut vomitoria, quæ malum ſemper exaſperant; ita in capite 7. de colica bilioſa anni 1670. 1671. & 1672. Sydenham.

§. LXVI. Curatio hujus per omnia anodyna narcotica & ea omnia, quæ ſpi-

rituum

rituum motum irregularem compeſcunt, ut ſunt omnia gummi ferulacea, odores ſingularium ſubſtantiarum, ut ambra, camphora, caſtoreum &c. opium, imo his in linimentum redactis totum abdomen inungere vult Hoffmannus, in cautelis & obſ. clynicis §. 7. Cel. ac Mag. de HAEN ſcutum ſtomachicum, ex opio, camphora, theriaca confectum regioni ventriculi applicandum vult, omnes herbæ cephalicæ dictæ veteribus, ut meliſſa, mentha, majorana, ſalvia, ruta, flores chamomillæ, emulſiones anodynæ, tepiuſculæ propinandæ, ut Cel. de CRANZ in pub prælect. nos monitos habere voluit, (nam a frigidis ſæpius læduntur) per quæ motus irregularis ſopitur, accidit interdum licet rarius hoc pulcerrimum Sydenhami monitum, quod in citato capite adducit, quandoque anodynis exhibitis nil ſe profeciſſe, quamvis etiam opiatorum doſim auxerit, niſi prius aut vena ſecta aut catharctico exhibito pauca anodyni doſis omnes miſerias levavit, ſed ſubjecta in quibus effectus ab opiatis obtineri non potuerat, ſanguinei temperamenti erant, & vacuatione præmiſſa egebant, ut via opiato aperiretur: poſt hæc roboranti a optime conveniunt, ut ſunt aquæ ferratæ cum lacte & ipſe mars, cort. peruv. omnia

ama-

amaricantia, rob. nerv. ut robur nervis restituatur, neque tam facile a levioribus causis & affectibus animi in grandia mala varios morbos mentientia conjiciantur, miserandi hypochondriaci & hystericæ miseræ.

§. LXVII. Colica nephtritica cognoscitur a dolore obtuso in regione lumbari, subinde acutissimo & fixo, alvi faciliori egestione, vel per clysmata soluta nulla doloris remissione, quod in colico dolore non obtinetur, a minctu sanguineo post motum corporis validiorem vel præsente tali, urina tenui, aut sabulosa, vel calculis onerata, ex quorum sæpe descensu per ureteres varia sedes doloris percipitur, ex stupore fæmoris, testium constrictione, vomitu assiduo, hæc sunt symptomata calculo renali propria.

§. LXVIII. Cura ad calculum dirigenda, si calculus per ureterum angustias descendens, nequeat dilabi absente inflammatione vel ea præsente, præmissa V. S. omnia emollientia, oleosa, mucilaginosa ingerantur, ut hæ viæ magis patulæ fiant, tunc danda sunt prius lenia anodyna, iis non sedatis, doloribus, aut vomitu, ad opiata descendendum est, devicto dolore colico cura ad calculum dirigatur.

§. LXIX. Colica menſtualis quæ varia eſſe poteſt ratione doloris, pro ratione temperamenti, vitæ regiminis, ſunt enim fæminæ, quæ nullum colicum dolorem initantibus menſtruis experiuntur, verum ſunt e contra multæ quæ immanis doloribus inſtantibus menſtruis diſcritiuntur, ut non ſolum ob acerbiſſimos dolores non decumbere, ſed in decubitu ſe vix movere poſſunt; hujus ratio enim eſt, quod ſinus uterini amplientur, vaſaque inter hæc decurrentia comprimantur, & quod his compreſſis diſtrahantur. Arteriæ enim iliacæ internæ non tantum utero ſed etiam vicinis partibus ramos largiuntur, hinc impedito fluxu per vaſa uterina, vaſa vicinarum partium urgentur, & diſtenduntur, unde ratio ſæpe inſtante periodo, doloris colici aliorumque ſymptomatum. Verum ſuper his lato admodum ſermone Ill. comment. Boerhavii L. B. van Swieten de morbis virginum legendus.

§. LXX. Diagnoſis hujus colici doloris, petitur ex ſignis inſtantium menſtruorum, quæ ſunt tumor mamarum, pigritia, oſcitatio frequens, extenſio corporis, rubor non conſtans genarum, faſtidium, nauſea, inſolitus appetitus, pluri-

bus

bus, dolor cervicis, aliis capitis, æſtus circa pudenda & mador, circulus lividus ad palpebram inferiorem, gravedo ad lumbos, tempus periodicum.

§. LXXI. Quare etiam pro diverſitate cauſæ diverſa medendi ratio erit. Interim tamen præſente bona copia humorum, & dolore urgente, non melius exhibendum noverim, quam caſtoreum, quod ſub varia forma dari poteſt, adjectis ſolventibus & emenagogis. Si vero a copia excedente ortum ducit, V. S. indicatur in brachio: dum prædominatur mucoſa Diatheſis adjunctam ſibi habens aliquam acrimoniam, ſalia acrimoniæ oppoſita, cum gummi ferulaceis & nervinis adjectis, poſtea roborantibus, frictione totius corporis, & vectione in carpento, offerantur: ſi a ſtrictitate vaſorum uterinorum; tunc ſolventia cum emollientibus medicinam faciunt.

DE COLICA GRAVIDARUM.

§. LXXII. Quatuor præprimis menſibus inter tam varia ſymptomata gravidarum frequenter occurrit dolor colicus, quo affliguntur, qui quamvis ſæpe varias agnoſcat cauſas, primaria tamen eſt

consensus nervorum, licet & aliæ causæ, ut saburræ in primis viis occurrere possint, sed hæc suis cognoscuntur signis; non enim hæc symptomata a copia sanquinis repetenda, ut a nonnullis creditur, quæ a tenerrimo fœtu primis mensibus, in sui incrementum absumi non potest, & inde plethora augetur, verum hanc residuam a nutritione copiam necessariam censet Ill. van Swieten, ut sensim vasa exigua uteri amplitudine augeantur. Etenim nec non raro obvenit, quod signa veræ plethoræ primis mensibus desiderentur, urgentibus tamen variis symptomatibus, etiam & colico dolore, quem posterioribus mensibus ab alia causa facile admittam, cum uterus mole auctus in abdomen ascendens intestina de suo situ & removet, & ita comprimit, ut cavitas eorum aboleatur, qua abolita magnum obstaculum fæcibus ponitur, mora enim stagnantium fæcum dolor novus colicus adoritur; inde patet, quod gravidis tarda sit alvus, si copiosa colligatur, frequens causa evadit difficilis partus.

§. LXXIII. Cura, si colica sub principium graviditatis ex consensu sit, palianda solum venit anodynis, narcoticis,

dia-

diacodiatis & aliis nervinis, tamen cum moderamine exhibitis: ſolent enim in pluribus hæc incommoda gravidarum poſt quartum plerumqae menſem ceſſare; ſi vero ſimul ſaburra conjuncta fuerit, hæc immutantibus, diluentibus ſaburræ, contrariis corrigitur, demum circa quartum menſem miti purgante ecoprotico expellitur, congeſtæ vero in inteſtinis fæces in colo aut recto clysmatibus emollientiſſimis educendæ ſunt, oleoſa etiam ore hauſta, ſi ab his gravidæ non nauſeent, multum levaminis attulerunt.

§. LXXIV. Multæ certe cauſæ, quæ puerperis poſt partum ſecus felicem, novos validosque pariunt colicos dolores: ut frigus admiſſum puerperæ, adſtrictio faſciarum validior, fæx in inteſtinis compacta hærens, Paſſio hyſterica puerperio ſuperveniens, ut Sydenhamus teſtatur, grumoſus ſanguis, lochiorum ſuppreſſio & inde nata inflammatio uteri, aut diſtenti uteri per graviditatem enixo fœtu inæqualis contractio, ſicuti & muſculorum abdominalium: hæ enim cauſæ a prudenti medico per ſigna cognoſci debent, ne perverſa curationis methodo in magnum diſcrimen conjiciat puerperam.

§. LXXV. Curatio erit hic pro diversitate causæ: si inflammationis uteri signa adfuerint, cito & omni molimine conandum est, ut medela subita fiat puerperæ, per V. S. largam in brachio factam, per clysmata emollientia; pro exigentia casus, repetenda per continuam renovationem cataplasmatum emollientium, cum chamomilla paratorum, interne vero per omnia solventia & emollientia, quæ in inflammatione intestinorum enumerata sunt; si frigus admissum imminuerit copiam lochiorum tamen absque inflammatione uteri, aut febre validiore, omnia leniora aristomachica cum justo moderamine exhibenda sunt, ut lene infusum chamomillæ cum floribus sambuci &c. ad vesperam bene exhibetur lene paregoricum, si autem adstrictio fasciarum validior dolorem causet, hæ relaxandæ habita accurata attentione ad præsentia symptomata, tum alvus restitans enematibus oleosis reseranda, quare optime commendantur, puerperis juscula cum oleo recenti amygdalino sumenda frequentius de die, grumi vero sanguinis resolventibus, diluentibus solvendi sunt, præprimis laudatur cherophillum an merito? si vero necessitas urserit, eadem & in ute-

uterum tepide injici poterunt, niſi conſtrictio uteri injectionem impediat. Dolor colicus vero frequentius occurrit ab inæquali contractione uteri & muſculorum abdominalium, huic indicationi per anodyna, opiata ſatisfieri poteſt, quæ cum lapidibus cancrorum bene exhibentur, cæterum abdomen laxum faſciis firmetur, & roborantibus ſumis frequentius perfricetur.

COLICA A REFRIGERATIONE PEDUM.

§. LXXVI. Inter conſenſuales numerandam eſſe duxi, eo quod cauſa applicata in alia parte dolor, id] eſt effectus cauſæ, alia in parte ſentiatur, nempe in abdomine, quæ non infrequens eſt, apud debiles moliter educatos, & qui viciſſitudinibus aeris facile læduntur, ut ſunt feminæ debiles, molles hyſtericæ & hypochondriaci nudipedes matutino tempore incedentes, aut etiam ſi non ſatis contra injurias aeris ſuos muniant pedes hyemali tempore. Sunt vero & alii, qui in undis, ſtagnis, fimetis, paludibus ſtare, aut piſcari aut venari cogantur, præcipue ſi

hos labores autumni tempore peragant, in colicos tales incidunt, ut præ acerbitatis dolore ejulare cogantur.

§. LXXVII. Cura absolvitur infusis parum diaphoreticis leniter anodynis, tepide sumendis balneis pedum calidis, cataplasmatibus emollientibus, discutientibus, anodynis, præcipue si flores chamomillæ tam interne quam externe adhibitæ fuerint, de quibus Becherus & Baglivius tantum laudis dixit, quod in doloribus abdominis, mediam curam absolvere videantur.

DE COLICA METASTATICA.

§. LXXVIII. Neque prætereunda erit species colicarum metastaticarum, cum sat frequenter ingenium nostrum exerceat, quando talis materia tunicæ nerveæ sensationis exquisitissime ab alio loco profecta huic insidet. Hoc autem obtineri potest, vel retropellendo, ut in exanthematicis chronicis, sæpe numero contingit, dum agirtæ empyrici curam brevem & felicem exanthlant, qui nulla scientia medica imbuti omni forma applicare conantur, talia remedia, quæ poros cutis adstringunt, &

ma-

materiei exitum denegant, nec de pelle humana folliciti in fummam homines perniciem conjiciunt, dum talis materia fummo cum raptu, inteftina petat, & inflammationem, ejus, exitum, fpasmos, volvulos, rodendo & laceffendo nervos ibidem producat.

Idem fit, dum fluxus gonorhoicus a medicaftris talibus ignorantibus facharo faturni fuprimitur, videri poteft Ill. L. B. de Störck. Verum puerperæ, quæ prolis fuæ ubera fuggere denegant, pro pœna id experiuntur, aut fi alio modo lac mammas deferuit, & verfus inteftina ruit, idem accidere folet, ut Ruifchius munerat, fe lac inveniffe in grummos coagulatum, & parietibus inteftinorum accretum, in quadam fæmina puerpera, quæ poft ventris tormina necabatur, cui de mammis lac retroceffferit. Aut fi effeto corporis lanquore natura materiam morbofam allegare non valeat verfus crura, dum interim errore loci ad inteftina deponitur, dolores colici nafcuntur, ut Rheumatici, arthritici, podagrici provecti fæpius experiuntur, contingit etiam, ut abftringentibus applicatis, opiatis, purgantibus exhibitis materiei podagricæ obex ponatur, quæ, ut fupra dixi,

quasi critice demandata versus intestina dyssenteriam, vel spasmos producendo deposita sibi viam angustat, nec sine damno & intolerabili dolore hanc scenam ponit, nisi bona fortuna, aut per medicamenta exhibita, ab hac versus crura derivetur, intestinorum spacelo superveniente glæriam sibi vindicat, vel dum tempus podagræ appropinquat, quo materia deponenda ob tophorum, nodorumque præsentiam minime ab his locis alias illi faventibus acceptatur, quæ postmodum ad intestina false reiterata, ibi tragediam suam ludit, & sæpe instar veneni assumpti, homini vitam demit.

§. LXXIX. Cognoscitur singularis hic affectus ex signis sequentibus: 1mo Ex purpura cutanea evanescente, ex reliquarum causarum colicarum producentium absentia; ex applicatione prægressa unquentorum, aut balneorum adstringentium, aut repercutientium. 2do. Ex secessione lactis, ex mammis flaccidis. 3tio Ex suppresso fluxu gonorhæico post saturnina per uretram injecta. 4to. Si a materia rheumatica arthritica id accidat, tunc cognoscimus ex frequentiori paroxismo prægresso & inchoantibus novis symptomatibus podagræ consuetis, nullo sequente dolore articulorum, ex corporis

ris

ris lanquore, quod talis materia huc a viribus deficientibus derivari non potuerit, aut ex applicatione ad loca podagrica adſtringentium cum inſequente dolore.

§. LXXX. Cura fit pro diverſitate cauſarum diverſa 1mo. Si hoc malum primitias ducit a re percuſſa ſcabie; & homo plethoricus eſt, V. S. præmittatur, cataplaſmata apponantur emollientia, ex emollientibus decocta potentur, enemata oleroſa, & omnia mucilaginoſa injiciantur, cutis a ſordibus muniatur, ut perſpirabilis fiat; tandem leniora diaphoretica ore ingerantur, ut ſunt flores Sambuci chamomillæ herba chamedrios ſarſafras, angelica & eorum præparata ſarſaparilla, bardana, ſcabioſa infuſi, vel decocti forma &c. regimen ſit moderatum nec ſtibium diaphoreticum non ablutum omittendum ut ſudores moveantur &c. 2do. Si a retro pulſa gonorrhœa fluxus gonorrhæicus procurandus eſt, balnea lactea vel ex emollientibus decocta pro pene balneando parentur, in uretram ſimilia injiciantur, interne omni forma emollientia, inviſcantia aſſumantur, poſtea diaphoretica ex lignis exoticis intermiſcenda bene diluta & calide potanda ſunt. 3tio. Si a metaſtaſi lactea, tunc conveniunt ſolven-

tia, cum emollientibus & paregoricis lenioribus, ore, enematum forma offerenda, lapides cancr. cum arcano duplicato, mammis omnia attrahentia, rubefacientia, adeoque cucurbitæ, hærbæ ſtimulantes, ut rutæ, ſemina, ſinapi &c. ſi a coagulo lactis, parietibus inteſtinorum adhærente, ſapo venetus cum gummi ferulaceis & alia ſolventia opem ferunt. Si a materia rheumatica, arthritica, aut podagrica retropulſa dolor involat, laudavit Sydenhamus, cereviſiam tenuem; poſtea cum ſingulam per vomitum rejeciſſet, hauſtulum vini canarienſis recommendat, cui inſtillandæ ſunt 18. guttæ L. L. Sydenhami, & quieti ut ſe tradat æger; teſtatur hac methodo ab imminente morte liberaſſe, neque hic emollientia ore hauſta aut per enemata, cum pauca mixta doſi opii negligenda ſunt, tum interim acriora epiſpaſtica ad loca crurum alias podagrica applicentur. Legi poteſt Mag. Prof. de HAEN Cap. II. rat. med. pag. 92. & 93. ubi narrat caſum de Dyſſenteria, quæ Medicum Viennæ ultra duodecim horas, cum rigore Tetanode aggrediebatur, cujus L. B. VAN SWIETEN L. Erndl. curam geſſerunt datis ſolis emollientibus &

lenis

lenis dosis opii cum acribus epispasticis, spatio septem dierum citra podagram supervenientem morbum debellarunt; morbi proegumena causa materia podagrica in corpore latitans accusabatur, quam lene purgans versus intestina traduxit, indeque dolor repetebatur. Simul laudat L. B. VAN SWIETEN. infusa lignorum eorumve decocta, ut Sasafras, sarsapar. lig. Quaj. trium santal. rad. quinque aper. cum applicatione epispasticorum imo vesicantis. Si autem ex deffectu virium ad intestina deposita fuit, tunc cardiaca omnia, præcipue autem vinum cænariense Sydenhamus reliquit; si autem propter tophos & similes protuberantias materia versus artus deponi nequeat, cum hæc plerumque nascantur, ubi natura lanquet, tunc cardiaca nutrientia & nervea, leniora stimulantia, cum lenibus diaphoreticis, subinde quoddam levamen adferunt, reliqua videantur de podagra.